

**AB**

125832



00bc

1472

008

009













CHRISTIANI ADOLPHI  
KLOTZII.

OPUSCULA  
POETICA.



---

ALTENBURGI,  
EX OFFICINA RICHTERIA,  
MDCCLXI.





AB 125 832



VIRO MAGNIFICO  
ATQVE  
EXCELLENTISSIMO,  
IO. ERNESTO IMMANVELI  
WALCHIO,  
PHILOSOPHIAE, POESEOS ET ELOQVENTIAE  
DOCTORI IN ACADEMIA IENENSI,  
ET SOCIETATIS LATINAE,  
DIRECTORI

S. P. D.

CHRISTIANVS ADOLPHVS KLOTZIVS.



WALCHIO  
DOCTOR IN ACADEMIA  
ET SOCIETATE LITIN  
DIRECTOR

S. P. D.

CHRISTIANVS ADOLPHVS R. O. N. V. S.





**L**ubenter enim meritoque Tibi, WALCHI  
praestantissime, hoc munusculum offero, cer-  
tissimum grati animi et summae meae erga te  
obseruantiae, non quidem quale cupio, sed quale  
possum hoc tempore, monumentum. Postulat  
hoc insignis, quam de Tui ingenii et doctrinae  
praestantia concepi, opinio, postulat eximia  
Tua in me beneuolentia et humanitas. Nam  
primum est hoc WALCHIANO generi quasi  
fato datum, ut ex eo, tanquam ex uberrimo  
fonte, plures promanarent riui, et amoenos  
Musarum hortos limpidissimo doctrinae flumine  
irrigarent. Quid de Patre Tuo dicam, viro  
omnis virtutis laude cumulatissimo, cuius nomen  
aeternis consignatum atque impressum ingenii  
monimentis longe lateque per orbem terrarum  
fama dissipauit? quid de Fratribus Tuis, in-  
genio, doctrina, humanitate Tibi geminis, quo-  
rum in libris expressae excellentis doctrinae exi-  
miaeque probitatis notae? Tuum vero, Vir  
excellentissime, ingenium, Tuas virtutes ferreus



omnino sit et omnis humanitatis expers qui non  
vehementer colat et amet. Versantur in mani-  
bus doctorum hominum elegantissimi Tui libri,  
quos nulla vetustas delebit, nulla obliuio. Ad-  
mirantur in illis atque suspiciunt accuratam  
omnis antiquitatis cognitionem, vastas variae  
eruditionis copias, et eximiam orationis Latinae  
facultatem, qua Te adeo pollere constat, ut mihi  
quidem scripta Tua Romam ipsam redolere vi-  
deantur. Tantus in iis nitor, tantum optimo-  
rum verborum flumen, tanta elegantissimarum  
sententiarum copia. Atque hae quidem ingenii  
atque doctrinae tuae virtutes omnium bonorum  
cultum Tibi dudum conciliauerunt, omnibusque  
satis sunt notae. quid vero de animi tui bonis  
dicam, quae te iisdem amabilem reddunt? Me  
quidem dulcissima Tua natura, multorum sermo-  
nibus mihi cognita, admirabili Tui desiderio  
semper accendit. Dicebant mihi saepius homi-  
nes: illum WALCHIVM, cuius eruditionem  
ego tanti aestimarem et tantopere praedicarem,  
non magis doctum, quam humanum esse: hanc  
huma-



humanitatem in sermone, in omni vita, in ipso  
etiam vultu eminere: naturam esse ab omni furo  
et fastu longissime remotam: eundem optimum  
virum lubenter omnium commodis inseruire, qui  
se iis artibus, quarum studio sibi tantam glo-  
riam comparasset, dedissent. Quantam, quae so-  
putas me voluptatem ex eiusmodi sermonibus  
percepisse? laetari, amare Te, atque vehemen-  
ter Tuam benevolentiam appetere. Quid multa?  
Dedisti hoc Vir doctissime et humanissime, hu-  
manitati Tuae (huic enim Tuum in me studium  
tribuo) ut ego, quod in magna felicitatis parte  
pono, et Tuorum numero adscriberer, et, quod  
prope nefas videbatur sperare, apud Te aliquo  
in pretio, nullo meo merito haberer. Testes  
litterae Tuae, at, bone Deus! quales litterae!  
suauitatem et benevolentiam maximam spiran-  
tes. nam quid de elegantia, omnibus tuis pro-  
pria, aliquid dicere opus? Testes aureola Tua  
scripta, quibus nullum unquam iucundius mu-  
nus accepi. Obtemperavi igitur animo meo,  
hortanti me semper et monenti, ut testimonium  
huiusce



huiusce mei animi ederem. Quoniam vero, qui  
Te, tanto Viro, digni essent, ingenii atque  
industriæ meæ fructus adhuc a maturitate  
absunt, interim hos quasi flores Tibi spargere,  
et carminum meorum libellum alterum inscribere  
et consecrare visum est, cui Tu pro Tua huma-  
nitate locum aliquem inter libros, qui Tibi in  
deliciis et amoribus sunt, dabis. Praeterea,  
WALCHI præstantissime, si me non plane in-  
dignum Tua benevolentia esse inde intelliges,  
conseruabis mihi illum Tuum animum, Tibique  
persuadebis, neminem esse, qui præstantes Tuas  
virtutes maiori et cultu et amore prosequatur.

Vale. Scripsi in oppido Bischoffswerda,  
dulcissima mea patria, Kal. Decembr.

a. C. cIᵛ Iᵛ CCLX.

---

CARMINA.



C A R M I N A .

---

OD. I.

A D G E R M A N I A M .

**F**rustra sonoris rupta tonitribus  
Castella, frustra diruta moenia  
Turresque fractas et cruentis  
Arua cadaueribus repleta,

Frustraque morbos, pauperiem grauem,  
GERMANIA, et tot dura gemis mala,

Quando ipsa perdis te pudenda  
Mollitie nocuoque luxu.

Non inclytorum sanguine Teutonum  
Venae tumescunt: non patrius vigor  
Roburque fortunatum auorum  
Degeneres animat nepotes.

A

Effoemi-



Effoeminati spreuimus horridas  
 Pelles aurorum, spreuimus, et decus  
 Virtutis vna cum paternis  
 Pellibus exuimus paternae.

Germaniam ornat callida sericis  
 Auroque pictis Gallia vestibus:  
 Nobisque potum blanda mater  
 Mittit et ambrosiam dapesque.

Hinc non auitis membra laboribus  
 Durare, non hinc frigora perpeti,  
 Sed discimus crispare crines,  
 Ad citharamque pedes mouere.

Hinc fraus, bilingues insidiae, dolus,  
 Iuncta et voluptas mollitiae venit,  
 Hinc nostra nigris arua pennis  
 Pigrities petit atque luxus.

Me, musa, non ad rura Quiritibus  
 Tecta interentis, bellipotens vbi,  
 Ceu fulmen atra nube missum,  
 Arminii gladius coruscat,

(Conta-

(Contaminatus nam lue publica  
Non sustinerem lumina tollere)

Me Musa, ducas ad virentes  
Arboreasque domos auorum.

Non hic recumbunt marmoreae aureis  
Aedes: columnis grata palatia  
Contextit ilex atque iungens  
Ardua brachia pulchra pinus.

Hic non tapetis versicoloribus  
Mollique pluma, sed clypeis super  
Aut cespite in duro iacentes  
Fortia deposuere membra.

Lorica squammis horrida aheneis  
Aurata vestis: luvida brachia  
Ferro citatricesque cultum  
Eximiumque decus putabant.

Musco virescens est potior lapis  
Mensis eburnis, et galeae cauo  
Ferro rigentes gemmeis sunt  
Phidiacisque scyphis priores.



Non ex Eois finibus afferunt

Naues onustae mortiferas dapes:

Non massico vino aut Falerno

Debilitant animi vigorem.

Sed e propinquis fontibus hauriunt

Puram manu vndam: sed patriis mero

In collibus cocto ad pericla

Exacuunt toleranda pectus.

Lentis pererrant haec pedibus loca

Pudor decorus largaque Copia,

Et Faustitas, perfusa et albos

Simplicitas humeros capillis.

Indigna forti patre Thuistone,

Indigna proles indomitis auis,

Hinc foeda cur auertis ora?

Curque pudore genae rubescunt:

Effoeta natura et senio graui

Languens vetustae nos Alemanniae

Heroicorum nos auorum

Dedecus opprobriumque finxit

OD. II.

AD NISSAM  
FLUVIUM IN AGRO GORLICENSI.

Nondum pectore amor meo  
 Nec desiderium, Nissa, abiit tui,  
 Quae sublimia moenia  
 Lentis Gorlicii fluctibus alluis,  
 Et felicibus irrigas  
 Vndis rura meae, Nissa, Lusatiae.  
 Paullum siste tuas aquas,  
 O cursus celeres Nissa preme, et tui  
 Audi carmina Klotzii.  
 Olim me quoties tu pauida manu  
 Flacci tangere barbiton  
 Vidisti! quoties vulnera pectoris  
 Rapis lene sonantibus  
 Vicinisque queri rupibus et leui  
 Vidisti Dryadum choro!  
 Texebant falices tum viridem mihi  
 Umbram, tumque coloribus  
 Distincta ambrosiis gramina languido



Praebebant lateri torum.

Tum Nympharum aderant numina, me, nisi  
Error lusit amabilis,

Adstabant nitidae tum mihi Naiades,  
Ridentes mea vulnere

Ardoresque meos ore venustulo,  
Si me, Niffa, tuas bona

Ad ripas iterum fata reducerent!  
Tunc decem veteri mero

Spumantes calices, quotquot eunt dies,  
Libarem tibi gestiens.

At sicut vitreas tu sine murmure  
Per flores varios aquas

Voluis: sic iubeant Di strepitu sine  
Vt luctu et grauibus malis

Pura, vt vita mihi candida defluat,



O D. III.

A D

GOTTL. FRANCISC. LEHMANNVM,

AA. M.

**E**st ipsa virtus dos sibi maxima,  
 Quae nulla quaerens praemia, quaeque opis  
 Mortalis immunis sua vi  
 Seque funimque decus tuetur.

Non ira fati, non gladius minax  
 Sacui tyranni, non pelagi furor  
 Non dirus hoc ignis, LEHMANNE,  
 Auferet atque ruina coeli.

Sis mente constans, nec tibi conscius  
 Sis poenitendi consilii, et tuus  
 Sis veritati addictus vni,  
 Intrepidusque deae satelles.

A 4

Munitus



Munitus armis his hominum preces  
 Et vota, plausum plebis, et integer  
 Vndam minacem atrasque nubes  
 Ridet et exitiale fulmen.

Seu sit corona splendida regia,  
 Seu delitescat straminea casa  
 Virtus, nec augeri suum, nec  
 Diminui decus illa fentit.

Rebus colores omnibus illitos  
 Absterge vanos: ingenua manu  
 Absterge fucum fomnolentos  
 Decipientem oculos, LEHMANN E.

Non ille (\*) maior sit tibi consulis  
 Auctus superbo nomine, quam prius,  
 Agrum triumphalis colonus  
 Laurigero subigens aratro.

Et,

(\*) Cic. pr. Rosc. Amer. apud priscos, summos viros clarissimosque homines, in agris colendis plurimum operae datum, ut ex aratro accerferentur, ut Consules fierent. Nota sunt exempla Serrani, Quintii Cincinnati, aliorum, v. Dempst. ad Claud. in Rut. l. v. 202.

Et, crede, surget ferius, ocyus,

Sed, crede, surget lux rutilo polo,

Virtutis assertor grauisque

Opprobrii metuendus vltor.

Tunc fulgurantem luce videbimus

Intaminata, quam miserabilem

Cunctisque spretam, quamque fletu

Saeptius hic madidam videmus.





OD. IV.

## AD ROSAM.

**D**electata iocis mane Fauonii

Et noctis lacrimis humida quae modo

Late non sine fastu

Effulges rosa purpura:

Mox folis nimis icta caloribus

Pones deciduo flore caput tuum,

Et canis moribunda

Consperges foliis humum.

Vitae flos fugiet non aliter meae:

Forfan iam tacito mors properat pede,

Iam circumuolat atris

Pennis illa meum caput.

Quid demens animo gaudia differam

Iucundosque dies? quemque diem putans

Diluxisse supremum,

Nec fidens ego crastino.



OD. V.

O D. V.

## QVERELA GERMANIAE.

Vidi, nepotes, credite, credite,

Vidi sedentem nuper ad Albidos

GERMANIAM ripas nefandum

Exitium patriae dolere,

Non sueta pingunt gaudia pallidas

Genas, nec aegrum ferta tegunt caput.

Per candidum incomti capilli

Diuolitant humerum gementis.

Qui nuper vndis prata virentia

Puris rigabas, sanguine plurimo

Nunc decolor, nunc intumescens

Corporibus misere perentis.

Saeuos per ignes et cinerem vrbium,

Agros colonis per viduos suis,

Per rura late caede sparsa

Funereas agis, Albis, vndas:

Audi



Audi querelas et gemitus meos,  
 Ah! cresce fletu, barbaries mihi  
 Quem filiorum et dura corda  
 Excutiunt feritasque regum,

Heu! iam per annos quatuor impie  
 Vos saenientes in mea viscera  
 Vosque atterentes vidit ipsos  
 Erubuitque pudore coelum,

Quis non aceruis albicat ossium  
 Collis? quod aruum funeribus caret?  
 Quae non sepulchrali ora planctu  
 Tristibus et resonant querelis?

Immensa rerum copia quo fugit  
 Priscaequae vires? illius, illius  
 Quam totus admiratus orbis,  
 Quid refidet vitio meorum?

Externa (factum flebile postera  
 Aetas negabit) pro pudor! agmina  
 Externa caedes in meorum  
 Vltimum in excidium vocatis?

O ful-

O fulminantes condite condite  
 Enses, amicas iungite dexteras  
 Centumque maiorem triumphis  
 Reddite magnanimi quietem.

Certate, Reges, quis melioribus  
 Componat orbem legibus, et prior  
 Quis exulem cunctis ab oris  
 Injustitiam reuocet Fidemque.





OD. VI.

## AD HESPERVM.

**T**e, qui nequitias furtaque mollia,  
 Et rapta e labiis oscula flammeis  
     Attente specularis  
     Blanda et murmura virginum :

Supremum Veneris te genus, Hespere,  
 Oro per Venerem perque Cupidines,  
     O lucem nitidi oris  
     Nigris inferere nubibus.

Vt suspensa metu sponsa et amabilem  
 Formosis oculis lacrimulam exprimens,  
     Iam tradenda marito  
     Nunquam te rutilasse vult :

(Nam demens metuit dulcia praelia  
 Exoptatque simul, blandaque vulnera  
     Ah! inuita tremiscit,  
     Formidans sua gaudia.)

Sic

Sic ne me Glyceræ mellea basia  
 Figentem, et Glyceram mellea basia  
 Figentem mihi, matri  
 Morosæ timeo indices.

At si quando fores obfideat meae  
 Inuisus Bauius, tum, precor, Hesperæ,  
 Tum flamma rutilanti  
 Vincas omnia sidera.





O D. VII.

## AD C. C. SCHILLINGIVM.

Quid durus nimium domi

SCHILLINGI retines, quos roseis Venus

Dictavit labiis Tibi,

Dulces quosque loci, quos Charitum chorus

Multo nectare proluunt

Versus? quid dubitas aurea posteris

Seclis atque fodalibus

Nobis quid dubitas tradere carmina?

Indignis tenebris sales,

Argutosque iocos totque facetias

Heu! durus nimium premis.

Non Minos Icarum, non Danaen ita

Inclusam tenuit pater.

Segnes rumpe moras claustraque carceris,

Et, seu basia Magdalaе

Decantas fidibus blandifonae lyrae;

Seu luctum patriae doles

Et Dresdae cineres templaque diruta;

Seu

Seu plectro recinis graui

Perfusas acies puluere martio:

Ne vulgare diutius

Cessa. Quid metuis iudicium infciae

Plebis? quid fremitum paues

Et tela inuidiae plumbea sordidae?

O illum rosea Cypro

Aeternumque Paphi deliciis manu

Irata Venus arceat,

Qui Te cunque petat dentibus improbis

Te, Musarum amor et meus!





OD. VIII.

## AD EVNDEM.

**A**t nos amemus! Sic Veneri placet.  
 Nos ambo amoeno flore nimis brevis  
 Vitae virentes ambo alumni  
 Pieridum Venerisque amemus!

Me nuper alto fustulit aere,  
 Et folis extra flammiuomas vias  
 In floridos Cypri recessus  
 Attonitum Cytheraea duxit.

Late per hortos perque rosaria  
 Myrtos virentes brachia iungere,  
 Et graeciae vates sub umbra  
 Et Latii recubare vidi.

Vidi osculantem lactea Cynthiae  
 Suae iocosum colla Propertium,  
 Et feruidum Flaccum fontem  
 Dulcisonam Lalagen in vlnis.

Vidi

Vidi Catullum basia Lesbiae,  
 Vidi Corinnae basia Ovidium  
 Dantem, Heinſium Roſſae, et Secundum  
 Basia mille ſuae Neerae.

Vidi canorum roſcida Kleiſtium  
 Hic ambulanti per violaria  
 Ridentibus Muſis coronas  
 Floribus e variis ligare.

O quantum ab illo, credite! Kleiſtio  
 Mutatus, atrum nuper ab hoſtium  
 Quem caede Martis luctuoſi  
 Ferrea diripuit procella.

Progerminantes hic geminas mihi  
 Myrtos Cupido monſtrat, et, haec tuo  
 SCHILLINGIO ſuccreſcit, addit,  
 Myrtus et illa tibi vireſcit.





OD. IX.

## AD EVNDEM.

**F**rustra malignis pandere carbassa  
 Ventis et altum me timidum iubes  
     Decurrere aequor, cui Camoenae  
     Exiguam tribuere cymbam,

Index meorum candide carminum,  
 Dilecte SCHILLINGI. Est animus mihi  
     Circa susurrantes per herbas  
     Gramineas vitreosque riuos.

Imbelle dulces annuerant mihi  
 Carmen Camoenae: mollibus hae modis  
     Praeter iocos blandosque amores  
     Dicere me vetuere quidquam.

Iactet sonoram Maeonidis tubam,  
 Iactet cateruas Graecia viuida  
     Dextra perentias, et cruenta  
     Arma ducum celebrata iactet.

Nunquam

Nunquam venustae viderat igneas  
 Malas puellae, collaque lactea,  
     Nigrosque crines tectus altis  
 Maeonides oculos tenebris.

Has sustulisset si tenebras deus,  
 Non ille Achillis mirificum feri  
     Scutum, nec heroes, nec hastas,  
 Non cecinisset equos frementes.

Tunc extulisset fulgida lumina  
 Briscidos: tunc ora Cupidine  
     Ornata laudasset Lacaenae,  
 Pectoris et niueum colorem.





O D. X.  
A D E V N D E M.

**P**arca nascenti dedit affluentes  
Non opes fortuna mihi, nec aurum,  
Non dedit claros titulos auroꝝ aut  
Praedia magna.

Candidum pectus mihi, forte, fatis  
Nescium flecti rigidis, et audax  
Et minas terrae et maris insciumque  
Spernere vulgus.

Crede, SCHILLINGI, nec opes nec vllus  
Me dies cernet titulos precari:  
Non leuem plausum populi precari  
Supplice voce.

Non adulari didici, nec ore  
Improbo laudes celebrare stulti:  
Non meum est vestem stolidi osculari et  
Lingere sputa.

O prius

O prius pauper peream nec vlli  
 Notus, et tectus tenebris! Honores,  
 Quos mihi stulti tribuant, videntur  
 Dedecus ingens.

Non mihi montes fluvii lacusque  
 Patriam claudunt: vbicumque viuam,  
 Qua patet totus mihi erit suavis  
 Patria mundus.

Et mei tales proavi fuerunt,  
 Quos suae vidit patriae immolatos  
 Atque Turcarum madidos cruore  
 Bellicus Ister.

Me Deus quemcunque velit videre  
 Angulum mundi, fugiam hinc libenter,  
 Seu dedit plures mihi, siue paucos  
 Praebeat annos.

Tu mei viuas memor, atque nostra  
 Corda quae iungunt propera nec ipsa  
 Morte, SCHILLINGI, patiare amoris  
 Vincula scindi.



OD. XI.

## AD EVNDEM.

Veros honores, verum animi decus  
Laudesque anhelans non dubias, Tuo  
Accensus exemplo Sodalis,  
Rideo opes hominum metusque.

Vir mente constans atque sui potens  
Est semper idem, casibus altior,  
Iramque Fortunae irretorto  
Adspicit intrepidoque vultu.

Non ille Divae blanditias bonae,  
Non ille eidem dat lacrimas graui,  
Cui pectus adversus dolores  
Alta tegit triplici aere virtus.

Humana fortis subiiciam mihi  
Magnoque spernam pectore: lumina  
Non torua Fortunae timebo:  
Me timeat fugiatque Diva.

Quid

Quid deprimamus, particulam aetheris?

Non igneam vim figere humi pudet?

Coeloque cognati moremur

Nos humili relevare solo?

Seruile tandem deiiciens iugum,

Inuisa frangens hic animus diu

Et claustra rumpens, liber alta

Aethereis petet astra pennis.

Terrae relinquens exuias putres

Et mortis expers per liquidum aera

Lateque per nubes volabit

Sydereae nouus hospes orae.

Hinc laetus olim praecipites poli

Cernet ruinas, sydera pallida

Et pallidum solem videbit:

Hinc gemitum morientis orbis

Orbisque singultum audiet vltimum:

Solus superstes viuet et integer,

Non igne, non ferro, nec annis,

Non animus periturus aeuo.



O D. XII.

## A D R V R A .

O rura, laetis blanda coloribus  
 Quae Flora pingit, cincta roris caput,  
 O rura, quae natura ridens  
 Munificis manibus decorat:

Heu! dulce vobis aufugiet decus,  
 Mox bella vestras eripient opes,  
 Et qui meam diro furore  
 Mars misere patriam fatigat,

Late per agros purpureas rosas  
 Pes ingruentis militis obteret:  
 Tunc arma narcissos rubentes,  
 Lilia tunc violasque frangent.

Ridetis herbis versicoloribus:  
 Mox atra fusi flumina sanguinis  
 Vos irrigabunt, polluetque  
 Mistra hominum pecudumque strages.

Funesta

Funesta Nymphae tum fugient loca,  
 Musaeque moesto cum Charitum choro:  
 Pallor, fames, formido, fletus  
 Pauperiesque loca occupabunt.

Quando innocenti sanguine civium  
 Explere reges imperii sitim  
 Cessabitis? quando nefanda  
 Caede manus maculare vestras?

Qui tristis enses stringit, et horridas  
 Strages suorum non lacrimis sine  
 Adspectat, hic sceptro, corona,  
 Imperio folioque dignus.





O D. XIII.

## DE SEIPSO.

Vester, Camoenae, vester ego nemus  
 Sacrasque lauros et virides specus  
 Pindi relinquam: maior intrat  
 Corda deus stimulatque mentem.

Iamiam incalesco: pectore iam dolor  
 Luctusque vindex aestuat et pudor:  
 Exuberat venas per omnes  
 Sanguis et igne calet potenti.

Non irrigatam fanguine patriam,  
 Non ora fletu squallida ciuium,  
 Non longius moestae quaerelas  
 Saxoniae tolerare possum.

Et me ferocem castra sequi iuuat  
 Fortesque turmas: Ibumus, ibimus,  
 Et plurimo mox illinenda  
 Sanguine corripimus arma.

Nil

Nil sol peremto pro patria viro  
 Totum per orbem pulchrius adspicit:  
 Nil est magis fronti decorum  
 Vulnere pro patria recepto.

Laetus per ignes, laetus ahenea  
 Per machinarum murmura, per globos,  
 Per fulminatrices cateruas,  
 Ense ruam calido cruore.

Tum non auiti nominis immemor  
 Ortusque forti sanguine Saxonum  
 Aut victor e flammis recedam,  
 Aut gladio caput imminente

Pectusque nudum caedibus offerens,  
 Pulchris superbus vulneribus mea  
 Pro patria Augustoque Rege  
 Hanc animam placido ore reddam.





OD. XIV.

## AD MARTEM.

**H**anc, Mauors, animam, bellipotens deus  
 Armorumque parens, hanc animam tibi  
 Deuoui, sitiens sanguinem et inclytum  
 Nomen. Non tenebras, non animus meus  
 Has umbras patitur turpiaque otia.  
 Ceu fortis sonipes ad lituos fremit,  
 Nescit stare loco, collaque iactans  
 Mordet fraena ferox: sic mea pectora  
 Accendit fonitus dulcisonae tubae  
 Armorumque sonus quem procul audio.  
 O suavis fonitus, grata tonitrua!  
 Iam miscere manum iam videor mihi  
 Immixtus gladiis agmina rumpere  
 Dextra: perque globos flammiuomos ruens  
 Totus iam rubeo sanguine, iam mea  
 Multis fessa manus caedibus. O mihi  
 Victori liceat tum socios sequi  
 Me circa egregio vulnere perditos!  
 At tu, sic mereor, sanguineis notis  
 Nomen, Fama, meum nubibus imprimes,  
 Et feris recines grata nepotibus.

OD. XV.

O D. XV.

## AD HORATIVM.

O si me facili, Flacce, manu, tui  
 Plenum ad fontium aquas antraque duceres,  
 In lucosque, quibus musa lyrae potens  
 Te dulces docuit modos:

Te myrtis hedera, et pampineis comam  
 Sertis implicitum! Si regeres gradus  
 Nostros et focium te comitem adderes!  
 Auderem comitem sequi.

Audaci peterem tum scopulos pede,  
 Tum Pindi peterem summa cacumina,  
 Per calles dubias perque nouas vias  
 Imperterritus ambulans.

Quam me tollere humo nitor et ardua  
 Ascensu celeri vincere montium!  
 Ima me retinet segnis inertia  
 In valle, atque animum grauat.

Seu



Seu forti arma canam caede rubentia,  
 Heroumque parem cingere tempora,  
 Marcescit viridis laurus, et arida  
 Sub nostra emoritur manu.

Nigras siue comas atque loquacula  
 Decantare velim lumina phyllidis  
 Et pectus niueum spargere floribus,  
 Languent purpureae rosae.

Adfis, Flacce, mihi nostraque pectora  
 Blanda vi moueas: Flacce, meum decus,  
 O quem te memorem? thura tibi damus,  
 Et ferta offerimus tibi.

Iam mens incaluit pectus inaequat,  
 Praesentisque dei numina sentio;  
 Iam te, Flacce, meo, teque animo libens  
 Dulcis concipio furor.



---

OD. XVI.  
 DE  
 PRAELIO ZORNDORFFIENSI,  
 EOQVE EXSTINCTO KLEISTIO, MILITE  
 FORTI, POETA DVLCI.

Quo me per cineres perque acies ducum,  
 Per pugas, gladios, flammiumas globos,  
 Quo Bellona furens per profugos equos  
 Et fragis cumulos rapis?

Quo stridore tonant rauca tonitrua  
 Martis! quam rutilus terrifonus fragor  
 Armis exoritur! quam reboant poli  
 Late et culmina montium!

Ceu, quando Boreas Eurus et horridus  
 Tristem facna mouent bella per aera,  
 Insurgunt tenebrae, ferreus vndique  
 Alarum sonitus fremit,

C

Turres



Turres praecipitant, praecipitant iugis

Quercus aerae, sylvaque sternitur,

Auulfaeque suis sedibus arduae

Rupes cum sonitu cadunt:

Armorum horrifonus sic fragor intonat,

Sic incensa siti sanguinis agmina

Russorum coeunt atque Borussia

Et miscent manibus manus

Quantum terra tremit! iam lituos, tubas,

Hinitus tremulos audio: iam madent

Multa caede manus: sanguine iam rubet

Et tellus sanie fluit.

Insistens lacris corporibus Furor

Voltit sanguineum flammea lumina

Per campum, gemitus gaudet et audiens

Singultus morientium.

Quemnam alta intrepidi pectoris indoles

Quemnam illic animi diripuit calor,

Hinc in lethiferae verbera grandinis

In mille abripuit neces?

Turres

Sic

Sic est: delicias, Mars, video tuas,  
 Et Phoebi video gaudia, KLEISTIVM.  
 Magnae quantum animae prodigum hostium  
 In densas acies ruit!

Quae victrix gladius fulgura proiicit!  
 Quam fulgore oculi terribili micant!  
 Tali, quando potens proelia Mars mouet,  
 Igne ardent oculi dei.

Illum praepropero subsequitur pede  
 Miles, nil metuens hoc duce, iam ruit,  
 Iam deuota neci pectora fulmini  
 Offert et gladii minis.

Iamque — o Phoebe tuum seu clypeo tege,  
 Seu tu sulphureis nubibus eripe, —  
 Pectus conspicio saucium et improbo  
 Ire e vulnere sanguinem.

Hoc flores varii sanguine pullulent,  
 Succrescant violae, lilia cum rosis,  
 Hinc myrtus vireat palmaque germinet  
 Et sacrum in coeant nemus.




At vos o animam ducite KLEISTI

Per valles virides per gelidum nemus

In campos roseos ruraque florida

Vos deducite Gratiae.



O D. XVII.

## AD SOMNVM.

**C**ur me, blande deus, fugis?

Cur per tres miserum numina me tua

Exspectare finis dies

Frustra? cur gemitus atque meas preces

Surdis respuis auribus?

Suspiro requiem dulciaque otia

Et duram voco Cynthiam

Crudelesque polos, duraque sidera,

**T**e, crudelior omnibus

Votis et precibus sollicito, deus.

Iam corpus sine viribus,

Languesco: macies pallor et horridus

Artus oraque conficit.

Non facis inhians depositis cubo,

Nec fures timeo malos.

Non me faetus amor sollicitum iubet

Observare fores meae,

Nec ne quis timeo me placeat magis.



Non libris veterum, (impigro

Quos quidnam studio voluere profuit?)

Impallefcere me iuuat.

An, ceu praua fugit turba fodalium

Triftes et vacuas domos,

Et tu, Somne, volas alta palatia

Circum, heu perfide! pauperum

Deuitans oculos fletibus humidos?

Tandem, Somne, precor, precor,

Dulcis Somne redi: Cur tibi Klotzius

Debet ludibrium, bonus?

At, fi tantus amor ludere, transferes

Tempeftiuus in domum

Te Maeni: iubeas pinguem ibi Maenium

Sudorem et vigilem queri

Noctem: hunc verfare iube corpus inaniter

Huc illuc tumidum thoro.

At Crifpilli oculos alta quies premit,

Frufta et pigritiam viri

Deplorat mulier, feruida Phidile.



OD. XVIII.

## DE SEIPSO.

Ergone semper ferrea tempora  
 Bellique dicam fulmina? flebilem  
 Ergone cladem luctuosae  
 Saxoniae querar vsque et vsque?

Nullumne donem carmen amoribus?  
 Nigros capillos, purpureas genas,  
 Non ora laudem, quae Cupido  
 Quae Venus et Charites pererrant?

Non blanda dicam murmura amantium,  
 Nutus loquaces, lumina subdola,  
 Et subdolum risum, ipsa dulces  
 Quem Cytherea docet puellas?

Irata nuper quae rapuit bonum  
 Augustum et aegris gaudia ciuibus  
 Fortuna, mox nostras reducet  
 Delicias iterum benigna.

XIX. 00

C 4

Quid



Quid me futuri temporis exitus  
 Angat? quid atra sollicitudine  
 Quid floridos annos querelis  
 Excruciem trepidisque curis?

Eheu! iuventae flos viridis meae  
 Marcescet, acui ver fugiet breue:  
 Tunc pallor et rugae tremorque  
 Canitiesque aderit molesta.

Adferte flores, purpureas rosas,  
 Sacrasque lauros: huc Venus et Ioci  
 Huc Gratiae Musaeque adeste;  
 Huc et ades facilis Lyae.



O D. XIX.

## AD IO. GEORG. NEVMANNVM.

**Q**uem putas vere, NEOMANNE, dici  
 Nobilem? an fama titulisque clarum?  
 An genus magnis ab auis trahentem et  
 Sanguine regum?

Non meos mendax oculos honorum  
 Splendor et clari generis vetustas,  
 Non opes fallunt radiansque vano  
 Gloria fucō.

Saepius gemmis diadema fulgens  
 Improbuna cingunt caput infimumque,  
 Saepius gestat scelerata dextra  
 Regia sceptrā.

Plebs stupet sceptrum, folium, coronam,  
 Plebs stupet ceras, titulos et aurum;  
 Mentis at dotes sapiens et alta  
 Pectora quaerit.



Sola nos reddit, NEOMANNE, virtus

Nobiles, raro foliis amica,

Saepius rivis et amica tectae

Cespite villae.

Fortis et confians scelus omne spernam

Purpura indutum: tenuique panno

Squallidam virtutem animosus idem

Semper anabo.

Lactus et prudens animus sibi que

Imperans se digna cupit facitque,

Maior et quovis titulo et superbo

Stemmata maior.

Ille contemtor popularis aurae,

Ille fortunae quoque ridet iram,

Ille amicorum patriaeque dulcem

Spirat amorem.



O D. XX.

## AD EVNDEM.

Quid iuvat rerum docili artiumque  
 Ambitum infinitum animo tenere,  
 Si Tibi ignotus, NEOMANNE, viuas  
 Et moriaris?

Astra percurras animo, ordinesque  
 Igneos, ortus, obitus, labores  
 Calleas lunae, tenebrasque folis  
 Ora tegentes:

Calleas qua vi tumeat vagusque  
 Rursus in sese pelagus residat:  
 Mille naturae teneasque vires  
 Milleque leges:

Blandius molles moderere chordas  
 Orpheo: venti fileant et amnes,  
 Cum feris dulces nemorosa cantus  
 Saxa sequantur:

Ni



Ni Tibi vires et origo, virtus,  
 Abditae labes animi et cupido  
 Cognita, an ventosa scientia omnis  
 Proderit vnquam?

Artibus doctis animus politus  
 Efficit solus neque nos beatos,  
 Nec potest veram dare nec perennem  
 Nobilitatem.

Formet et fingat iuuenile pectus,  
 Pectore exstirpet vitium potentis  
 Diua virtutis manus, inferatque  
 Semina honesti.

Illa fortunam doceat grauesque  
 Sortis humanae tolerare casus:  
 Illaque assuefcac vitia et superbum  
 Spernere vulgus.

Non cum fordes scelerum inquinabunt,  
 Confcicus quicunque fui inclyti ortus  
 Se fciat dium genus esse feque  
 Aethere natum.

O D. XXI.

## A D S O D A L E S .

**T**otus concutitur turbine bellico

Orbis: nos etiam feruidus incidat

In pugnas animus, nec patitur sequi

Ignaua otia languidos.

Adfit blanda Chloe, mille oculis neces

Vitas mille gerens milleque spicula:

Quis nostrum hinc referet, (parce Venus mihi!)

Pectus faucium amoribus?

Non dextrae gladio, non capita aereis

Splendescant galeis: ebria garrulam

Tractet dextra lyram, temporaque humida

Sertum pampineum ambiat.

Pingamus foueas, moenia et aggeres,

Pingamusque mero tristia praelia.

Iam fossas video sanguine turgidas

Plena et sanguite flumina.

Certe-



Certemus, Socii, quis labiis Chloes,  
 Quis fronti tenerae, quis roseis genis,  
 Quis collo niueo, quisque humeris ferat  
 Flagrantissima basia?

Certemus, Socii, quis cyathos bibat  
 Plures: nectareos quis Veneris iocos,  
 Et nutus melius virginum et improbum  
 Risum quis recinat lyra?

Quo splendore calix emicat! o merum  
 Quos vibrat radios! inchoo praelium,  
 Iam tollo calicem hoc, optime Telephe,  
 Propino tibi poculum.



OD. XXII.

## VINDEMIA.

DITHYRAMBUS.

**Q**uis per arua, perque montes  
 Perque saxa, perque syluas  
 Clamor editur sonorus?  
 Decipitne forte dulcis  
 Forte ludit error aures?  
 An choros ego frementes, atque plausus audio?

Audio pater Lyaee,  
 Audio tuam, benigne,  
 Blande, belle, peruenuisse,  
 Perfacete Bacche vocem.  
 Ter quaterque, Bacche, salue,  
 His ego tibi racemis implicabo tempora.

Grata



Grata fronte, grata vultu  
 Enitet tibi venustas:  
 Igneo genae rubore  
 Igneo calet vigore  
 Pectus. Huc ades Lyace,  
 Hoc tibi coronò fertis, hoc propino poculum.

Hinc procul, procul profani  
 Hinc procul fenes morosi  
 Hinc graues procul Catones:  
 Aduenit faceta pompa,  
 Iamque ferta iamque thyrfos  
 Iamque adesse cerno Bacchas montiumque numina.

O quis ille, qui vacillans  
 Insidet fenex afello:  
 En manu tremente tollit  
 Poculum haurit ecce! totum  
 Ebrioque clamat ore  
 Bacche! Bacche faxes reddunt, faxes et antra consonant.

Huc

Huc adeste vos puellae  
 Et simul ioci, lepores,  
 Ritus innocensque lusus.  
 Implicate vos choreis  
 Virgines manus tenellas  
 Pampinis comam prematis, huc adeste virgines.

Huc adeste vos sodales  
 Perque mollicella colla  
 Perque subdolos ocellos  
 Perque labra purpurata  
 Mille dulcibus puellis  
 Mille basia applicate, mille carpite oscula.

Ferte ferta, ferte laurum  
 Et scyphos capaciores:  
 Poculum tibi, Cytheris,  
 Et nouem scyphos camoenis,  
 Tresque Gratiis dicabo.  
 At tibi Lyaeae totum fortis hauriam amphoram.

D

Tu,





Tu, tuis, Lyaeae, donis  
 Turbulenta corda mulces,  
 Anxios leuas dolores,  
 Diluis molesta vitae,  
 Mutuos doces amores,  
 Me doces fides iocosi tu mouere barbiti.

Dona, Bacche, si tua absint,  
 Nulla pulchra virgo pulchra,  
 Nulla dulcis est voluptas,  
 Nullus est dies ferenus,  
 Nullus est iocus iocofus,  
 Tu dies, iocos, puellas, cuncta reddis aurea.

Floridam tibi iuuentam  
 Confecro, tibi viriles  
 Confecrabo laetus annos,  
 Nec tuum senem relinques  
 O Lyaeae, nec negabis  
 Funebres virente canos implicare pampino.



OD. XXIII.



O. D. XXIII.

## A D LYRAM.

Gratum lenimen sollicitudinum  
 Dulce et iuuentae delictum, lyra,  
 Te nunc dolens suspendo Phoebos,  
 Teque manu trepida Camoenis.

Non aere iussi te, lyra, venditas  
 Laudes superbae plebis et insciae  
 Non erubescendos amores  
 Te stolidasque sonare flammās.

Virtutis almae perpetuum decus,  
 Pulchrasque dotes pectoris ardui,  
 Ignēs honestos, blanda dona  
 Munifici cecini Lyaei.

Nunc me puellas me Veneris iocos,  
 Flacci canoros me miserum modos,  
 Meque antra grata umbramque Pindi  
 Dura vetant meminisse fata.

D 2


Quid



Quid tum? quid? ardor si mea pectora  
Priscus reuifat, si temerarii

Me rursus accendant calores,  
Ah! quid agam miser, o Camoenae?

At te molesto puluere fordidum,  
Multoque opertum flamine araneae,  
Te pabulum vermis proterui,  
Barbitos, hic paries habebit.





## S E R M O N E S .

---

S A T . I .

A D I O . G O T T F R . R O T H I V M .

**N**e Satyram scribas, inquis? cur, optime ROTHIVM?  
Non ego constringam stultos? animosque feroces  
Et fastum studeam compefcere? reddere verae  
Doctrinae decus ereptum? ridere stuporem,  
Per fora regnantem, per templaque, perque cathedras?  
Non tituli et generis facum ascitosque colores,  
Queis ventosa suas tegit ignorantia sordes,  
Diripere! audaces sciolorum ostendere nifus?  
Non monstrare viam dulces ad Apollinis artes?  
Non hominum melius noui de gente mereri.  
Est nostrum dubias tenebras dispellere: nostrum  
Est vitia erroresque animis euellere turpes,



Foecundaque manu virtutis spargere semen.  
 Hoc Graii, hoc Latii me condocuere magistri.  
 „Recte: sed faeuas iras odiumque mouebis,  
 Quidue iuuat tantis caput obiectare periclis?  
 Seruius aeternam rixam litesque minatur,  
 Iamque e Carpzouio recitabit voce sonora  
 Legem et iura tibi. Furiis accensus et ira  
 Inuisum Bibulus te summis reddet et imis,  
 Teque deos magno dicet clamore negare,  
 Atheus hic, iurans, satyras et carmina scripsit,  
 Hunc fugite: fugite hanc pestem iuuenesque senesque.  
 Cassius” — ah frustra me verbis flectere tentas.  
 Vni me genuit doctrinae atque eius amicis  
 Addictum natura potens: eademque stupori  
 Et plebi et sciolis infestum me esse volebat,  
 Immittens odium forti implacabile menti.  
 Quid faciam? fas est naturae audire iubentis  
 Vocem, fas almae praecepta facessere matris.  
 Ne tamen ignores, quae sit mihi regula scripta  
 Primum me illorum, queis rodere nomen honestum  
 Est volupe, atque bonam famam lacerare bonorum,  
 Excerptas numero. Non nomina, crimina sola

Perfe-



Persequor: haec mens est perstringere et illa tacere.  
 Cassius et Bibulus, Birrus, stupidusque Petillus,  
 Crispinusque dabunt sua nomina mutua stulto.  
 Nec si plura nitent bona, tum me paruulus error  
 Offendet: maculis inspersis corpore pulchro  
 Parcam, cumque bonis mala compensabo libenter.  
 Si genus et proauos reges ostendit auosque  
 Scaliger, <sup>1</sup> ignosco, voluisse arcessere famam  
 Hinc mirans, quam illi ingenium et doctrina parabat  
 At nostri pueri, gladio cristisque superbi  
 Si claros iactant proauos et nobile stemma,  
 Ipsi flectere equum, saltare et ludere docti,  
 Et strenui pugiles, agitur si ludicra pugna,  
 Posthac rectores populi patriaeque columnae:  
 Tunc teneam risum, nec longa silentia rumpam?  
 Quando, alias magnus, tumido Salmasius ore <sup>2</sup>  
 Intrepide Musas ad pugnam prouocat omnes:  
 Heroem hunc hominem tristis natum esse recorder.  
 Ast etiam Capito, furtum ingeniosus ad omne,  
 Lexica compilans, et, fuetus viuere rapto  
 Compilans Flores, Syntagma, Theatra, Thesauros.  
 Ille viris doctis sese exaequabit inultus



Laetus, et inflatus foedis impune rapinis?  
 I, sequere hunc coruum totam, mea Musa, per urbem,  
 I, sequere et pictas pauonum detrahe pennas.  
 Parcarn Burmanno, <sup>3</sup> si falso carmina Flacci  
 Explicuit: calidus si quando feruor et ira  
 Clamores nimios expressit et aspera verba:  
 Num quoque Nodotius, num Carpentarius illam  
 Accipient veniam? <sup>4</sup> Sapiens num Clericus, aevi  
 Egregius veteris censor, censorque recentis  
 Clericus? O frustra sciolis ignoscis: ineptos  
 Hos magis atque magis tumidos patientia reddit:  
 Mox, nisi principiis obstes fortisque resistas,  
 Illos quae rapiat mens effrenata videbis.  
 Quot non nostra tui similes, bone Clerice terra  
 Progenit! quot non Perraltos nutrit et alta  
 Tanquam Musarum veneratur numina supplex!  
 Peccat et aeternus foede huic dormitat Homerus <sup>5</sup>  
 Nec Maro diuinus tenet apti carminis artes.  
 Illi nil sapiunt facundi scripta Platonis,  
 Et Cicero veras rerum cognoscere causas  
 Nequidquam studuit, vilis de plebe pufillus  
 Philosophus: placida quis tandem haec audiat aure?

Cuique



Cuique dedit felix adeo natura cerebrum?  
 Vae iecur efferuens commota bile tumescit,  
 Phoebus et iratus quae porrigit arma capesso.  
 Sunt alia, inuitus quae tango, quaeque minora  
 Vt calamum stringam, nisi turpia pulchra videri  
 Atque obdurati prauum defendere vellent.  
 Per me sexcentum turgescat pagina docto  
 Nominibus Titio scriptorum: maximum aceruum  
 Conuehat auctorum plaustro, laudetque recentes  
 Et veteres laudet: noui tanta vnde supellex  
 Sit repetita: scio riuum fontemque Pitisci.  
 Hauriat hinc tutus, totumque exhauriat amnem  
 At moneo, tacite spoliis opibusque fruatur  
 Paret? an attollens malesano vertice cristas,  
 Par sibi Grutero, par Scaligerisque videtur?  
 Quantus nunc risus Titius! quam fabula suavis!  
 Albius ignorans numeros, discrimina vocum,  
 Atque pedum leges ignorans carmina pangit.  
 Haud equidem inuideo: taceo semperque tacerem  
 Ni tumefacta gerat vesano pectora fastu  
 Albius, affectans famam ingeniumque poetae.  
 Quid tum? non misero crines barbamque recidam, <sup>6</sup>



Non colaphum infligam: 7 sed quis ridere vetabit?

„At leges ipsi nimium tibi scribis acerbas,

Carmina componis mala, visque poeta videri.”

Quid faciam? illeui chartae semel ista, poetae,

Noris nos, quae scripta aegre delere solemus.

1. Multa Iul. Caes. Scaliger magnifice de sui generis splendore commemorat, quod ex antiquissima principum Veronensium familia deducit. vid. inprimis epist. ad Augustinum Ferrerium, p. 257. ed. Plant. et oration. in luctu Audecti Caesaris filii, p. 223. Sed vt vera virum magnum dixisse affirmare non audeo, ita neque eum mendacii postulo, si praesertim vera sint, quae Hagijs in vita Lotichii, p. 58. scribit: se Veronae vidisse clarorum principum Scaligerorum illustres statuas, qui olim ferme vniuersam Lombardiam tenuissent, sed inde a Venetis expulsi abiissent in Bauariam: hinc ortum esse Scaligerum, quem idem legitimum haerodem Veronae ad Sirmionis insulae Benaci lacus appellat. Sed sunt alia, quae rem valde dubiam reddant.
2. Salmasius in bibliotheca regia Parisina, cum Mauffacus et Gaulminus vna essent, huic dicenti: Je pense, que nous pourrions bien tous trois tenir tete a tous les Savans de l'Europe, respondisse fertur: Joignez a tout ce, qu'il y a des Savans au Monde, & Vous & Mauffac je vous tiendrai tete moi seul. v. Colomes. opusc. p. 98.
3. Nescio,



3. Nescio, quomodo factum sit, vt aliquoties vir doctus in animaduersionibus ad Petronium infeliciter admodum Horatii interpretationem adgressus sit. Nam, contra ea, quae in Chrestomath. Petronio - Burmanniana, de his, monentur, mea quidem sententia, nihil dici potest.

4. Verissime et optime ait vir elegantissimi ingenii, Perizonius, in Curtio Vindicat. p. 53. Praecipuam in Gallicis istis censoribus deprehendimus rerum antiquarum imperitiam: id quod vel ex vno illo Petroniani Satyrici supplemento patet. Confinxit, certe protulit, id Nototius, qui et Gallice mox vertit notisque instruxit: commendauit vero Carpentarius — celebris ille linguae latinae aduersarius — Etenim innumeri in illo supplemento et manifesti occurrunt Gallicismi, barbarismi, soloecismi, prorsus flagitiosi. Videas illic passim *quod pro vt positum, vt cum indicatiuo constructum, &c.*

5. Lepidissimum iuuat exemplum proferre: nempe verba Gundlingii, e praefat. ad Casae monim. p. 12. 13. In Homero parum bonae frugis est, sapidique paullulum. Ego Homerum perlegi, vt poetarum multorum fabulas intelligerem, (nempe etiam nescio quis Virgilium legerat, vt inde nauigationem Aeneae cognosceret) in ceteris risi, ac Platonis de illo opinionem (quam vir bonus non recte cepit; nam forte non ipse Platonem legit) calculo meo approbau. Meminisse hercle debebat vir Cl. non omnibus Homerum placere debere et posse.

6. Fran-



6. Francisco aiunt Philelpho, Graecarum et Latinarum litterarum in Italia magistro, cum Timotheo, Graeculo, ita conuenisse de modulo syllabae, vt ipse, si vinceretur, errorem pecunia lueret, hic si vinceret, totam sibi barbam abradi pateretur. Quid multa? Victor adeo fuit durus, vt Timotheo barbam recideret.
7. Suavis est fabula, Chaerilum ab Alexandro M. pro singulis bonis versibus nummum aureum, pro malis colaphum accepisse.



## SAT. II.

**I**, puer, vnguentum citus adfer, cingula, vestem,  
 Resque alias centum, quas felix Francia mittit.  
 Quid iuuat aeternum veterum impallefcere libris?  
 Quid noctu atque diu monimenta euoluere, prifcum  
 Quae Latium genuit, quae Graecia protulit olim?  
 An, tecum vt victum, Verulami, alimentaue quaeram, <sup>1</sup>  
 Nudus opum, trepidus, fenio et defeffus inerti?  
 An meus vt calami demonffret vulnera pollex? <sup>2</sup>  
 Sat mea verbofo manus infudauit Homero,  
 Sat Flaccum, Ciceronem verfauitque Dionem.  
 Nunc alias artes difcam: DI's gratia! ad altos  
 Me tutum multo melior via ducet honores.  
 En! primum incultos nitide crifpabo capillos,  
 Pectine difponam docte, ferroque calenti  
 Caefariam docilem dextram intorquebo fequentem  
 Si proprii defint, incedam crinibus emtis.  
 Praecipue crinis liquido fpargatur amomo,  
 Et late ambrofiam myrrhae diffundat odorem.

O quae



O quae caefaries! plebs mirabunda fufurrat,  
 Quae frons! o crinis quales exspirat odores!  
 Fallimur? ipfa illo fapientia vertice fpirat.  
 O infigne caput, quae te tam laeta tulerunt  
 Saecula? num redeunt antiquum haec tempora in aurum?  
 Prima igitur crinis, fed pileus altera cura eft  
 Paruulus hic, nitidus, facile quem brachia curua  
 Contineant, facile, fi quando occurrat amicus,  
 Quem demittat humi conformi dextera motu.  
 Per plateas capite incedat vir doctus operto?  
 Non faciet: neque tuni, fi denfus nubibus imber  
 Decidat, et totum videat defcendere coelum.  
 Nigra per erectam ceruicem falcia ferpat,  
 Nigraque per tergum constringat taenia crines.  
 Serica fit veftis, vario diftineta colore,  
 Sit breuis et tenuis, fit et auri fplendida filis:  
 Albida circumdent et ferica tegmina crura:  
 Calceus argento, gemmis niteatque lapillis:  
 Gladiolusque latus cingat: Quid? lambere dextram,  
 Ludere pileolo, tergum curuare, decoram  
 Tergere frontem, apte difponere brachia noui,  
 Et dudum docuit me Francia mellea verba,

Francia



Francia cui tantas debet Germania dotes.  
 Haec etenim blandae praestat dulcedine linguae,  
 Quam callens merito, sapiens et doctus habetur.  
 Quid dubitem? quoties, quos alma Lutetia velle  
 Indutos lacera iuuenum crispare capillos  
 Viderat, aut fumo nigros et forde culinae,  
 Nunc videt auratos felix Germania, pellens  
 His ducibus rigidos mores cultusque paternos!  
 Nunc, puer, obtendas speculum: te, candide iudex  
 Consulo, doctorum comes obsequiose virorum.  
 Ah! nimium ex sanguem pallorem ostendis in ore:  
 Pinge, puer, malas, rubeumque adspere colorem.  
 Iam satis adpersum, iam redit purpura malis.  
 Omnia curavi: nil restat: pulchra Mineruae  
 Haec facies, vestis Phoebus Musisque placebit.  
 Adfer lecticam: hinc ego Maecenatis in aedem  
 Deferar. Occurrunt pueri, famulique stupentes  
 Mirificum variae vestis vultusque nitorem  
 Certatim incuruant se, certatimque salutant.  
 „Salve, da veniam, iam te, vir maxime adesse  
 Edicam domino” narras iucunda, sed audi:  
 Ecce! virum magnum, mihi crede, habet angulus iste:

Est



Est bonus, est doctus: cur tantus moeror in ore!  
 Cur tantos ducit gemitus? est omnium egenus  
 Forte tuus dominus misero succurret: amice  
 Hunc prius inducas. „Ignosce, vir optime, totum  
 Iam mensum ille fores domini obsidet: omnia frustra  
 Quis iuuet hunc stupidum? capitis quis squalor et oris!  
 Quam tenuis vestis! sedet aeternumque sedebit.“  
 At mihi panduntur portae omnipotentis olympi.  
 Introeo et vestis curuatus basia figo.  
 Iam meus arridet Maecenas, iamque benigne  
 Alloquitur: quid enim? docuerunt basia vestis  
 Fixa virum doctum se prudentemque videre.  
 Nunc expromo meas artes: nunc pyxida pulchram  
 Offero. Sternutat Maecenas? Francica verba  
 Addo statim. ridet? formosis rideo labris.  
 Extollit Bauium? Bauium astris laudibus aequo.  
 Ludit? disrumpor risu, clamans bene! belle!  
 Quid moror? intrepido vultu mea vota precesque  
 Explico, nec precibus, nec votis vlla repulsa est.  
 Hinc laetus redeo: late mea fama per vrbes  
 Ibit, et illustris me gloria ducet in astra.  
 Tanta nitens potuit vestis praestare, nepotes!

1. Proh pudor! magnus ille Baco Verulamius paullo ante obitum tanta omnium rerum inopia laboravit, vt regis opem imploraret rogaretque, ne se in extrema senectute panem emendicare pateretur. v. Patinian. p. 24. Quot, per Deum! sciolos et stultos omnium fortasse abundantia affluentes illa aetas habuit, quae tam aequo animo virum diuinum egenum et prope mendicum vidit!
2. Sebastianum Maccum, virum ea aetate in Italia magni nominis, Erythraeus in Pinacoth. narrat ab assidua calami tractatione in pollice et indice dextrae manus sulcos alte impressos hahuisse.





## SAT. III. 1

AD

## GEORG. ERNEST. HEBENSTREITIVM.

**Q**uid faciam? voluit faeni inclementia fati,  
Tot mihi quae aerumnas immisit totque labores,  
Ne quidquam duri desit, me scribere versus.  
Hoc mihi nil misero potuit contingere peius.  
Nam simul accessit paupertas, quae pede fido 2  
Sectatur vates, haeredes patris Homeri.  
Sic fatum voluit Venerem cantare merumque,  
Nec potare dedit vinum nec amare puellas.  
Adde, sibi quemuis solum magnum esse poetam 3  
Et tumido versus aliorum spernere fastu.  
Difficiles nugas huic adde et mille furores.  
At nullis precibus fatum mutabile gnarus,  
Parco: mane nouo componens carmina, sero  
Vespere componens, totus defixus in illis.  
Nunc aliud maiusque malum mihi nascitur: ira  
Ardentes homines Satyras me scribere clamant.

Nempe



Nempe vncis manibus Capitonem templa Mineruae  
 Audacter spoliare et rapto viuere dixi.  
 Irrifi Bibulum, dum persuadere popello  
 Nititur, haeretico scripta esse afflata veneno,  
 Quae non perfecte referant compendia, quondam  
 Quae puer edidicit, quae nunc dediscere censet  
 Esse nefas: recte: venerandus munere et annis.  
 Seruius haud legum mihi erat iurisque peritus,  
 Ignorans mores Romae ritusque Latinos,  
 Sed Baldi soboles, soboles dignissima Azonis,  
 Caetera quid repetam? non me risisse negabo,  
 Non adeo timidum fautrix natura creauit.  
 Sed me sponte mea voluisse laceffere quenquam,  
*Hebenstreite*, nego. quid rides? accipe quae so,  
 Cuius me toties delectauere lepores,  
 Et mihi concedas tecum, dilecte, iocari.  
 Exemplum veteris Latii et reuerenda caterua,  
 Grammatici, leges nimium posuere seueras  
 Quae certis numeris adstringant carmina vatum.  
 Inde mouent bellum nimis intractabile verbum,  
 Saepius et nobis obsistit syllaba dura.  
 Scribere vix coepi, iam syllaba dura repugnat.



Scalpimus inde caput, miseros et rodimus vngues,  
 Rodimus et calamos, et pulpita frangimus ictu.  
 O quantum cupio stultorum dicere laudes!  
 O quantum vano studio verba ipsa repugnant!  
 Aut me Grammaticus virga saeuoque flagello  
 Territat, aut certe versus subito elanguescit.  
 Birrus emit libros, aurato vestit amictu  
 Emtos, hisque suum conclaue tapetibus ornat.  
 Ne Birrum nitidos libros euoluere credas!  
 Nam facile fulgor rutilumque abstergitur aurum.  
 Idem catalogos et vana diaria legit,  
 Hinc didicit titulos librorum, hinc gutture rauco  
 Ceu digitos, vitia et naeuos enarrat eorum.  
 Cur igitur, dicis, Birrum laudare moraris?  
 Ecce! aegre versus verbum capit eruditi  
 Seruius. (o vestro Iason, Caepolla, Tigriue,  
 Irneri, Gofias, o vestro assurgite alumno,  
 Tuque tuo liba Carpzoui basia amori)  
 Seruius hic igitur Criticos condemnat, et istas  
 Pestes e patriis expelli praecipit oris.  
 Irridet lepide, qui nostri legibus aeui  
 Legibus ex Latii studeant accendere lucem.

Haec



Haec sunt Graeca, legi non debent Graecà, sodales, 4  
 Vociferans, non illa famem depellere, nullis  
 Illa valent vacuum nummis implere crumenam.

At bene scit chartas contexere, nouit et amplam  
 Scripturam, et scriptum nouit signare sigillo.  
 Vix ego, mi Serui, te coepi tollere ad astra,  
 Iam periit Iurisconsulti nomine versus.

At Quintus nugae effutiat ore loquaci

*Quis? quid? ubi? quibus auxiliis? cur? quomodo?  
 quando?*

Vsque canat, semperque suum *quicumque* coaxet,

Et de *principiis* et somniet *Entibus* vsque.

Attamen et nostrae Quinti praeconia haberent  
 Chartae, ni versum vox Philosophia redardet.

Audaci Titius fundit conuicia lingua,  
 Immeritosque viros liuenti carmine laedit,

Attamen argutas Satyras se scribere credit.

Credat, et ipse etiam talem appellare volebam,

Sed titulum verum 5 versus metrumque negabant.

Sed quid plura iuuat laudare exempla? videbis

Quam mihi vim faciat minime mutabile metrum,

Si laudare velim: fin quem reprehendere contra,

Vltro tunc coeunt in carmen mollia verba.



Nil sapit et stupidus Birrus se iactat inepte.  
 Seruius haud quidquam praeter mala iurgia nouit.  
 Quintus futilibus consumit tempora nugis.  
 Probrosus Titius rodit bona nomina verbis.  
 Nonne Tuus verbis et metro Klotzius ergo  
 Ducitur, vt neruis alienis mobile lignum?

1. Occasionem huic scriptiunculae dedit locus festiuissimus Daniel. Heinsii, in libello, qualis vxor ducenda sit viro litterato? — Virtus autem non tam lepide laudatur, neque semper belle dicitur in carmine. Adde, quod, qui versus Latinos scribunt, temperantiam ac castitatem, primas foeminae virtutes, in elegia vbi ponant non inueniunt. reluctantur enim syllabae —
2. Idem Heinsius in epist. poematibus suis affixa: Est enim *αυτοδιδακτος ἀρετῆς* paupertas, vt aiebat ille. Haec a parente nostro ad nos deuoluta est haereditas. Homerum dico, qui sic vixit, sic abiit. Hoc vno beatus, quod nec codicillos fecit, nec legatum, neque quisquam de inofficioso eius egit —
3. *Καθολικὸν θαύρημα* vocat Cicero ad Attic. 14. 23. Nemo vnquam neque poeta neque orator fuit, qui quenquam meliorem, quam se arbitretur.
4. Diuina Accursii vox.
5. Satyricus.



ELEGIAE.





## ELEGIAE.

ELEG. I.

AD ILLVSTRISSIMVM  
COMITEM SOLMIVM,  
ALBAE AQVIL. EQVIT. REGIAR. PRAEFECTVRAR.  
SCHWARZENBERGENS. GRVNHANENS.  
ET ZVICKAVIENS. EXARCHAM.

**S**i raucos lituos, Solmi, sonitumque tubarum  
Mufarum tenuis vox penetrare potest:  
Quae blandis viridi Mufis operatus in aeuo  
Carmina deduxi qualiacunque cape.  
At quantum, timeo vt refonans hinnitus equorum,  
Vt, quae sulphureis ictibus aera tonant:  
Vt gemitus iuuenum duro sub Marte cadentum,  
Armorumque fragor terrifonaeque tubae:

E 4

O quan-



O quantum vereor, tenera vt mea carmina ad aures  
 Imbellesque modos hosce venire sinant.

Ah! ne caeforum fis fparfus forte cruore!

Dextraque ne rubeat fanguine forte Tua!

Aufugerent ocyus pauidae nec tradere, Solmi,

Auderent Mufae carmina noftra Tibi.

Non Te, non dulcem credent fe cernere alumnum,

Solmius hic, dicent? hiccine nofter amor?

Cernimus hunc acies et equeftres ducere turmas,

Cuius mellifluum carmen ab ore fonat?

Hunc rigidas pugnas, hunc praeflia inire videmus,

Gloria qui femper curaue noftra fuit?

Felix! qui gladios inter veneraris et arma

Deliciasque Tuas, deliciasque meas.

Felix! qui recinis Venufino carmina plectro,

Arguteque moues aurea fila lyrae.

O vtinam liceat dignos Te dicere cantus;

Et trifli patriae pellere corde mala!

Flere iuuat, patriae crudelia vulnera flere,

Damnaque Saxoniae publica flere iuuat.

Ah quoties dixi, vos, gaudia noftra, valete,

O nemus, o dulcis vallis et vmbra vale!

Nil mihi vobiscum, nil profunt carmina: toto  
 Horrendum mundo sanguinea arma sonant.  
 Pax ades et ciues miseros pax alma reuise!  
 Fortunata veni terque quaterque dies!  
 Tunc viridi frontem lauro vincire iuuabit,  
 Omisissique elegis sollicitare lyram.  
 Non faeuas acies, non aspera praelia dicam  
 Vastatasque vrbes: Tu mihi carmen eris.





ELEG. II.

PIIS MANIBVS  
CHRISTIANI FRIDERICI  
PROMNITI

S.

**T**u, qui fidereo, translatus in arua piorum,  
 Promniti, vitam lumine laetus agis;  
 Si mortales tuas carmen perfertur ad aures,  
 Accipe sincerae pignus amicitiae.  
 Vltima amicitiae donamus et vltima amoris  
 Pignora quaeque licet munera ferre damus.  
 Iam licet aethereos cantus tua pectora spirent,  
 Diuinumque tuo carmen ab ore sonet:  
 Iam licet insigni mundi rerumque parentem  
 Carmine et extollas gaudia larga poli:  
 Iam licet haud mundi gratum nec amabile quidquam,  
 Coelestisque tuo pectore regnet amor:  
 Forte tamen nostri memor in regionibus illis  
 Forte inflicta tua vulnere morte vides:

Forfitan



Forſitan hoc carmen nubes transcendet et auras,  
     Forſitan haec pietas, grata futura tibi.  
 Forſitan has lacrimas non ſicco lumine cernes,  
     Et cineri haec, dices, munera grata meo.  
 Non noſtris lacrimas oculis non ore querelas  
     Extorquet nobis ars malefida graues.  
 Non nos arte queri nec nos lacrimare decenter  
     Fallere nec verbis nox didiciſſe iuuat.  
 Pectus, Promniti, pectus nos triſte diſertos  
     Et facit, et gemitus moeſtaque verba docet.  
 Hoc miſerum verbis cogit vulgare dolorem,  
     Hoc ſolum in fletus lumina noſtra mouet.  
 Vt flexi lacerat durus dens vomeris arua,  
     Vt lacerant filuas fulmina miſſa polo.  
 Sic quoque, quae viridi te nobis abſtulit aeuo,  
     Mors miſeris lacerat pectora noſtra modis.  
 Haec igitur luſtum ſimul et ſpirantia amorem  
     Vulneraque haec tanto vulnere laeſa iuuat.  
 Hoc gemitu paullum renouatur prima voluptas,  
     Foederis et noſtri priſtina imago redit  
 Nunc te direpto demum ſentimus, amice,  
     Quam toto fuerit corde receptus amor.

Mors.



Mors tua, Promniti, mors ah! tua quid sit amicos  
 Perdere, nos, vere quid sit amasse, docet.  
 Moeſta tui ſpecies oculis abeuntis inhaeret,  
 Vltima diſceſſus haeret et hora tui.  
 Oſcula diſcedens quoties repetita dediſti!  
 Vt noſtro collo brachia nexa tua!  
 Vtque tuis lacrimis lacrimas miſcere iuuabat  
 Noſtras! vt vocem preſſit et ora dolor.  
 Quam, dulces focii, veſtris amplexibus aegre  
 Diuellar, dicis, conſcius ipſe mihi.  
 Fata vocant, finisque meis iam debitus annis  
 Vltima iam approperant tempora, fata vocant,  
 Nunc Miſenam abeo, forſan clementia coeli  
 Languentesque artus aura benigna iuuat.  
 Tunc iterum fanum me dulcis Lipſia habebit,  
 Veſtros amplexus veſtraque colla petam.  
 Sin potius, mortis nam ſunt mihi ſigna propinquae,  
 Sin nobis reſtitum triſtia fata negant.  
 O memori veſtri Promniti nomen habete  
 Mente, ſit aeternum foedus amicitiae.  
 Teſtor perpetuum, qui nos coniunxit, amorem,  
 Cuius et in dextra ſunt mea fata, Deum:

Non



Non me quod virides annos floremque iuuentae

Eripiat mortis frigida dextra mouet,

Vos facitis focii, vos omnis causa doloris,

Vos soli facitis cur superesse velim.

Non ego vos posthac videam? non feria, lusus,

Non potero vobis credere cuncta mea.

Non vos consilium posthac praebebitis aegro?

Dulce mihi semper deerit alloquium?

Quaeque ego pro vestro nunc reddam praemia amore?

Scilicet aeterni causa doloris ero.

Non omnis moriar, vos dulces spero sodales

Vos post exiguam spero videre moram.

Qui tum complexus! quaeque oscula! qui tum

In superis aruis corda tenebit amor!

Nunc saluete mihi, nunc supremumque valete,

Nunc mihi supremum, Lipsia blanda, vale.

Sic fles, et flentes vna nos cernis amicos,

Vltima nos flentes figimus oscula, abis:

Quae non sollicitis animis nos vota fouemus!

Quid non speramus! spes ea casta cadit.

Ergone tu nunquam nobis rediturus abissi?

Ergone te nobis abstulit atra dies?

Nostrae



Nostrae deliciae; Promniti nostra voluptas

Tunc immaturo funere raptus abes?

Non, nisi per somnum, tua dulcis imago redibit?

Non, cheu! posthac, optime, noster eris?

Ah quoties cum tu socios complexus amantes

Tum dedimus lacrimis oscula mista tibi!

Quid si, saepe animus nobis dicebat, amicum

Dimidiumque animae mors violenta rapit?

Quid? sine Promniti tum coeli cernere lumen

Iucundum nobis? hoc sine viuere erit?

Accidit, o miseros homines! o inuida fata!

Quae nobis animus vaticinatus erat.

Vt rosa, purpureum quae mane expandit honorem,

Vespere demittit disperitura caput:

Imbribus effusis vt picta papauera marcent

Amittuntque suum lilia verna decus:

Sic breue ver vitae mediaque abrupta iuuenta

Gaudia funesti funeris hora rapit.

Non, cheu! sensim languentia lumina nostris

Claudere nos digitis, non potuisse tua!

Non licuisse tuae supremo in tempore vitae

Et capere et verbum reddere dulce: vale!

Ablentes



Absentes tibi ferta damus, floresque sepulchro

Afferimus varios purpureasque rosas.

Nec tamen hic finis luctus finisque doloris,

Nec tuus e nostro corde recedet amor,

Si tepidum longum tempus compresserit imbrem,

Nostrique siccarit lumina longa dies:

Ille tamen nostro viuet sub pectore luctus,

Fida et amicorum pectora flere sciunt,

O quam ardent animi, nubes tecum ire per altas!

O quantum cupimus te super astra sequi!

Felix morte tua, cumulos montesque malorum

Exsuperas, coeli perfruerisque bonis.

Quid tibi nunc mundi splendor quid honosque videtur?

Quid curae nostrae, gloria, quidue labor?

Irridesne hominum curas vanosque labores?

An potius miseret te miseri generis?

Quid tibi, quae totum scindit discordia mundum

Sanguineaque manu tristia bella mouet?

Quid tibi natorum Germania squallida caede,

In sua quam rabies viscera et ardor agit?

Quid tibi mille equitum turma peditumque cateruae,

Quid furor et strepitus quid graue Martis opus?

Quid?



Quid? nisi formicae, quae paruo in farris acervo

Ob paruum granum praelia parua gerunt.

Tutus de coelo fulgentia despicias arma,

Et mala mortales quae sibi cunq̄ue creant.

Nulla quies nobis, ah! toto incendia mundo

Cernimus ah! gladios vndique et arma fera.

Cernimus ah! gemitum patriae lacrimasque perennes!

Aruaque quae late tecta cadaueribus,

Seruitio liber, strepitu exemptusque periculis

Aurea sub pedibus conspicias astra tuis.

Aeternum numen maiestatemque verendam

Ingenio celebras vberiore Dei.

Miratur coelum, coeli mirantur et axes,

Nubes mellifluum carmen et astra stupent.

Quam pudet hos tenues numeros mortaleque carmen

Mortalique humiles fundere ab ore modos.

Quam ne, quae quondam non displicuere, veremur

Nunc laedant aures carmina nostra tuas.

Nostra deo o vtinam mens exardeat eodem!

Excitet o idem pectora nostra vigor!

O vbi diuino vultu sapientia splendet,

Quae non cognoscit discit et ingenium!

Vincula

Vincula perfregit dura, excussitque catenam  
 Reddita mens coelo, reddita tota sibi.  
 Nunc animus liber campoque potitus aperto  
 Omnia coelesti peruolat igne calens.  
 Peruolat nubes coelique volubilis orbes,  
 Aethereis pennis transuolat astra poli.  
 Fulminis attonitus patriam tonitruque sonantis  
 Ventorumque domos permeat atque niuis.  
 Iam fabricam mundi, iam quae compage tenetur  
 Coelum, quaeue via sidera discis eant.  
 Miraris populos tecum felicitis olympi  
 Coelestes acies aethereosque choros.  
 Qui ciues habitent in lunae conspicias orbe,  
 Quaeque creaturae conspicias astra colant.  
 Iam potis es veras rerum cognoscere causas,  
 Necne te metuis deuius error agat.  
 Qua vi subsidat pontus tumeatque vicissim,  
 Quot mundi niteant aethere et astra polo:  
 Tristes sanguineo rutilent cur igne cometae:  
 Qui teneant ciues stagna profunda maris:  
 Corporis vt rudes animus vegetauerit artus:  
 Quae natura animi, quae sit origo, tenes.



Quae sit naturae lex, virtus, quaeque potestas,  
 Tu nosti, atque homines quae modo cunque latent.  
 Fatorum seriem, rerum miracula, fortes  
 Hic hominum discis perpetuasque vices.  
 Hic mortisque tuae causas cognoscis, amice,  
 Hic, quae nos maneat aspera fata, vides.  
 Quid tibi nunc omnis sapientia nostra videtur?  
 Quid, quae mortalis ludicra iactat homo?  
 Si licet, et veteris tu non oblitus amoris  
 Nec miseros homines talia nosse nefas.  
 Dulcia per mediae descende silentia noctis  
 In tacitos lucos umbriferumque nemus.  
 Tu quibus in superas pennis adscenderis oras,  
 Quo duce transferis fidera quaeque via:  
 Quas ibi virtutes animi, quos nactus amicos,  
 Lūmine quo niteant corpus et ora noua!  
 Quo sermone Dei quo dicas carmine laudes,  
 Quam blandi numeri mellifluique modi:  
 Quid cupias, optes, quo tendat sancta voluntas,  
 Quid mens terrestri libera corpore agat:  
 Quae sint coelestes sedes, quaeque atria diuum,  
 Quaeque voluptates, gaudia quaeque, doce.

Forte

Forte animus grauiter crudeli faucibus ictu

Disceret alloquio fortior esse tuo.

Cur audire nefas homini miracula coeli!

Cur mortalis homo percipere ista nequit?

Quantum ardent animi! quantaque cupidine feruent!

Quod desiderium pectora nostra tenet!

O quando dabitur nobis sapientiam ab ore

Discere coelestem, dulcis amice, tuo?





## ELEG. III.

## AD MUSAS.

**E**xtrimum hoc, Musae, nobis concedite carmen

Extrimum, vobis vota precesque fero.

Inuida vis fati vestris me amplexibus arcet,

In quibus aeternum viuere dulce foret.

Dulce foret vestris morti succumbere in vlnis,

Luminaque a vestra claudere pressa manu,

Hoc ego sperabam, sed spes me lusit inanis,

Venti diripiunt gaudia spesque meas.

Vos mihi nascenti placidis risistis ocellis,

Nascere, dicentes, tu quoque noster eris.

Tum teneram ingenuas mentem formastis ad artes,

Artes, quae speratae nunc sine honore iacent.

Carmina tum ratum me, tum numerosque docetis,

Siue tuos, Naso, siue, Tibulle, tuos.

Et modo me laetum flauas ad Tybridis vndas

Ducitis, et colles, Roma vetusta, tuos.

Et

Et modo thesauros dextra referatis amica,

Quos gremio condit Graecia prisca suo.

Non mihi vos vani iunxit malus ardor honoris,

Nec me vos auri iussit amare sitis.

Ast ob delicias ob et illud amabile vestrum

Tanto vobiscum iunctus amore fui.

Sic mihi defluxit primae pars optima vitae,

Actaque per dulces blanda iuuenta choros,

Nunc iussit, Musas Pindumque relinquere fatum

Quod nobis laetum nil finit esse diu.

Ceu; quando tristis virgo trans aequoris vndas,

Dilectum iuuenem cernit abire procul,

Tunc gemit et queritur, lacrimis tunc ora venusta

Et pulchras lacrimis irrigat illa genas:

Sic ego vos lacrimans, miserescite! defero Musae,

Sic lacrimans Pindi nobile linquo nemus.

Nunc Cytherea vale, Charites, tenerique Lepores,

Tu, mi Flacee, vale, tuque, Tibulle, vale.

Nil mihi vobiscum nec erunt mihi carmina curae,

Nil mihi cum calamis cum citharaque mihi.

At saltem, Musae, ne vestrum spernite amicum,

At saltem memores nominis este mei.



Et sacro in Pindo, (nostro concedite amori)

Hoc habeat carmen parua tabella meum:

*Quem luco hoc nimium prohibebant ferrea fata*

*Klotzius hoc luco viuere dignus erat.*

Quid moror vterius? vultu dextraque feroci

Frango leues calamos: frange Thalia lyram.










AB 125 832

X 2369387









CHRISTIANI ADOLPHI  
KLOTZII.  
OPUSCULA  
POETICA.



---

ALTENBURGI,  
EX OFFICINA RICHTERIA,  
MDCCLXI.